



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Approbatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)



LECTOR BENEVOLE.



Deo iam multorum, vel hac nostra ætate, in studio Theologico singularis desudavit industria, ut superuacaneum prorsus videri possit eam in rem plura congerere. Quia tamen, cum in cæteris, tum vel potissimum in ipso docendi discendique modo, multum ipse interest modus; & neminem, quod sciam, hætenus repperim inter tot peregrinos Doctores, quos abditissima sacrosanctæ Theologiæ Mystéria laboriosis elucubrationibus præclare enucleata, æternæ posteritati consecravisse accepimus, qui hæc ipsa sacrarum disciplinarum arcana ad Methodum temporis nostri accommodata prodiderit; & hoc tantummodo unicum, cum ad commoditatem docentium, tum vel maxime ad utilitatem discientium, desiderari visum sit; in animum induxi, incommodo huic pro viribus occurrere. Et quamvis inscius non fuerim, summam Doctoris Angelici, plusquam abundè id ipsum nobis prestitisse; illud tamen etiam, vel mediocriter in Scholis versato, palam esse mihi persuaferim, in ea summa permulta haberi, quæ hoc tempore à Theologis vel prorsus non attinguntur, vel leui saltem, ut aiunt, brachio excutuntur. Ut taceam plurimas successu temporis quæstiones de nouo exortas, quæ hac tempestate longè vberiore exposcant agitationem.

His igitur permoti rationibus, summam aliquam perbreuem, seu Cursum Theologicum conficere institui; ea saltem in eo, quantum sat est, pertractantes, quæ nunc potissimum in scholis vigere & controuerti, longiori experientia didicimus. Vnde illum iuxta annorum octo spatium, quo ordinariè totius Theologiæ summa ab vnoquoque Professorum percurri solet, in Octo Tomos partiti sumus; quam etiam ob causam eundem non alia, quàm CURSVS THEOLOGICI inscriptione insigniri voluimus. Primus itaque hic esto Tomus, de Deo Vno & Trino, ut dignitate, sic etiam ordine Princeps: secundus, de Angelis: tertius, de Fine ultimo hominis, & medijs ad eum conducentibus, & impedimentis ab eo abducentibus: quartus, de Fide, Spe & Charitate: quintus, de Iustitia & Iure: sextus, de Incarnationis mysterio: & sic deinceps, seruata semper annuæ lectionis methodo, singulas materias singulis distinguemus tomis: qui tamen omnes vno videbuntur editi partu anno 1640. condita Societatis nostræ seculari, ut secula ferant, quæ spes in celo est, & tuo fauore, AMICE LECTOR: Hoc, inquam, Cursu Theologico, si arriiserit, vtere æternum saluus: de quo illud unicum habemus Tibi polliceri, quantum quidem in nobis situm erat, summe elaborasse, ut tu in eo nec Antiquorum, nec Recentiorum doctrinam desideres. Vale. Viennæ.

A P P R O B A T I O.

TOMUS iste primus CURSVS THEOLOGICI R. P. FRANCISCI AMICI Societatis IESV Magni Theologi, ut multigena eruditione plenus vtiliter recudetur. Actum Duaci 4. Aug. an. 1640.

FRANCISCUS SYLVIVS S. Theol. D. & eiusdem
Professor Regius ac ordin.

INDEX